

tissimo exponere periculo non exhorruit, dummodo  
ovibus sibi commissis consulere. Libet itaq; vestra,  
auditores, fretus benevolentia, virtutes DOCTORIS  
nostri ex Typo illo omnium doctorum, & fidelium  
Ecclesiae ministrorum PAULO, descriptas enumerare.  
Is vero duobus in locis Catalogum virtutum, satis  
longum recenset, quibus instructum velit eum, qui do-  
ctoris in Ecclesia personam sustineat,

2. Tim. 3.  
Tit. I.

*Oportet, inquit, Episcopum inculpatum esse, Vnius Vxoris Vi-  
rum, Vigilantem, Temperantem, Ornatum, Hospitalem, Aptum ad  
docendum, non Vinosum, non Percussorem, non turpis lucri cupidum,  
sed moderatum, non litigiosum, alienum ab avaritia, qui domui suae  
benè praesit, qui liberos contineat in subjectione cum omni honestate,  
Non novitium, amplectentem vero eum qui secundum doctrinam  
est, fidelem sermonem, ut potens sit & exhortari in doctrina sana,  
& contradicentes convincere.*

Ingens profectò hic est virtutum cumulus; sed si  
eas in LOBECHII nostri pectore quasi coarcervatas  
fuisse dixerò, nemo nisi malevolus momi filius mihi re-  
clamabit. Sive enim Ecclesiasticas Virtutes, sive  
Oeconomicas, sive Personales, (sic enim distribui catalo-  
gus iste Paulinus commodè potest) in LOBECHIO at-  
tendas, videbis ad amussim, fuisse eum vere *ἁγίου* omni-  
um virtutum Christianarum, imò typum & formam bo-  
ni Christiani, in sermone, in conversatione, in dilectione, in fide,  
in spiritu, in puritate: qualem Paulus requirit, 1. Tim. 4, 12.

Nam ut de Ecclesiasticis exordiar: offert se in earum cen-  
su primo loco *vita puritas & innocentia*. Hic quæso quisquis  
es, pensa LOBECHII vitã ad hanc regulam Paulinam. Non se  
*ἀναμάτητον* sed hominem, nihilq; humani à se alienum es-  
se, optimè agnovit LOBECHIIUS. Interim vero à graviori-  
bus lapsibus, quæ scandalo auditoribus esse possent, dies  
noctesq; studiosè cavit: sinceritatem in doctrina, in  
mori-